quæ ſupra Ægyptum in eremi adiacent plagis, Sarracenorum ſociavit regimini, & dictioni ſubiecit: plurimaſque Civitates Perſarum tributarias fecit: poſtremo tumultu ſuorum occiditur, regnans annos XII.

16 Huius temporibus in Era DCLXXX. anno Imperij Conſtantini primo, Arabum XXV. regnante in eis Othomam anno ſecundo, Chindaſuintus per tyrannidem regnum Gothorum invaſum Iberiæ triumphaliter principat, demoliens Gothos, ſexque per annos. Hic in Toletana urbe Synodale decretum XXX. Epiſcoporum cum omni Clero, vel Vicarijs eorum Epiſcoporum, quos languor, vel inopia præſentes fore non fecit, atque Palatinum Collegium, qui electione Collegij intereſſe meruerunt, (*t*) mirificè anno ſui regni quinto indicit celebrandum, diſcurrentibus tantùm Notarijs, quos ad recitandum, vel ad excipiendum Ordo requirit. Hic Taionem Cæſarauguſtanum Epiſcopum, Ordinis literaturæ ſatis imbutum, & amicum Scripturarum, Romam ad ſuam petitionem pro reſiduis libris Moralium navaliter porrigit deſtinatum: Qui cum à Papa Romenſi de die in diem differretur in longum, quaſi in Archivio Romanæ Eccleſiæ præ multitudine quæſitum, facilè nequaquam reperirent libellum: Dominum, pernoctens, & eius miſericordiam ad veſtigia Beati Petri Apoſtolorum Principis depoſcens: ei ſcrinium, in quo tegebatur, ab Angelo manet oſtenſum. Quo mox ut ſe Papa prævidet reprehenſum, cum nimia veneratione ei adiutoria tribuit ad conſcribendum, & in Hiſpaniam per eum tranſmit-

11. exceptis 8. diebus obijt Era 693. Arabum 35.

(*ſ*) Marmaricam.

*Chindaſuintus.* Chindaſuintus aſcendit in thronum Era 680. conſortem elegit filium Receſuintum Era 687. regnavit ann. 11. m. 4. d. 23. obijt. Kal. Oct. Era 691.

(*t*) *Rod. Tol. legit*: qui intereſſe collegijs merebatur.

Relationem iſtam Taionis ex Archivio Eccleſiæ Toletanæ tranſcripſit Card. Aguirre tom. 2. conc. pag. 529.

tit ad relegendum: quia hoc ex Beati Iob libris expoſitum retemptabant (*u*) ſolùm, quod per Beatum Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum fuerat advectum, & olim honorificè deportatum. Requiſitus verò, & coniuratus eſt Taio Epiſcopus à Papa Romano: quomodò ei tam veridicè fuiſſet librorum illorum locus oſtenſus? Hoc illi poſt nimiam deprecationem cum nimia alacritate eſt faſſus: quòd quadam nocte ſe ab Oſtiarijs Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli expetierit eſſe excubium. At ubi hoc reperit impetratum, ſubitò in noctis medio, cum ſe nimis lamentis ante Beati Petri Apoſtoli loculum, deprecando, faceret cernuum: Lux cœlitus emiſſa, ita ab inenarrabili lumine tota Eccleſia extitit perluſtrata, ut nec modicum relucerent Eccleſiæ candelabra: ſimulque cum ipſo lumine unà cum vocibus pſallentium, & lampadibus: relampantium cœperunt introire Sanctorum agmina. Denique ubi timore nimio extitit territus, oratione ab eis completa, paulatim ex illa Sanctorum Curia duo dealbati Senes greſſum in eam partem, qua Epiſcopus orationi degebatur, cœperunt dare præpendulum. (*x*) At ubi eum repererunt, penè iam mortuum, dulciter ſalutatum reduxerunt ad proprium ſenſum. Cumque ab eis interrogaretur, quam ob cauſam tam grande extaret fatigium? (*y*) Vel cur ab Occidente properans, tam longum navigerium? Hoc & hoc ab eo, quaſi inſcij, relatum auſcultant operæpretium. Tum illi multis eloquijs conſolato, ei opportunum, ubi ipſi libri latebant, oſtenderunt loculum. Igitur Sancti illi requiſiti, quæ eſſet Sanctorum illa

(*u*) retinebant.

(*x*) *Rod. Tol.* acceſſerunt.

(*y*) fatigatio.

illa caterva, eos tam claro cum lumine comitantium, reſponderunt, dicentes: Petrum eſſe Chriſti Apoſtolum, ſimulque & Paulum, invicem ſe manutenentes cum omnibus ſucceſſoribus Eccleſiæ, in loco illo requieſcentibus. Porrò ubi & ipſi requiſiti fuerunt: Qui Domini eſſent, qui cum eo tam mirabile habebant colloquium, unus ex illis reſpondit, ſe eſſe Gregorium, cuius & ipſe deſiderabat cernere librum; & ideo advenere, ut eius remunerarent tam vaſtum fatigium, & auctum redderent longiſſimum deſiderium. Tunc interrogatus, ſi tandem in illa ſancta multitudine adeſſet ſapiens Auguſtinus, eò quòd ita libros eius, ſicut & ipſius Sancti Gregorij ſemper ab ipſis incunabulis amaſſet legere, ſatis peravidus: Hoc ſolummodo reſpondiſſe fertur: Vir ille Clariſsimus, & omnium expectatione gratiſsimus Auguſtinus, quem quæris, altior à nobis, eum continet locus. Certè ubi ad eorum pedes cœpit proruere, citius ab oculis eius, Oſtiarijs & ipſis territis, ſimul cum luce evanuit Vir ille Sanctiſsimus. Unde ab eo die cunctis in eadem Apoſtolorum Sede Venerabilis Taio extitit glorioſus, qui antea deſpicabatur (*a*) ut ignavus.

(*a*) *ideſt*: **deſpiciebatur.**

17 Era DCLXXXIV. Romanorum quinquageſimus nonus Conſtans Conſtantini filius Imperio coronatur, regnans annos XXVII. peractis à principio Mundi annis VMDCCCLXXI. Hic cum Arabibus navali prælio acriter dimicavit, qui poſtmodum apud Syracuſam, Siciliæ inclytam urbem, coniuratione peremptus eſt, peractis XXVII. Imperij ſui annis. Huius

*Conſtans.*

**Conſtans fuit coronatus menſe Octobri Era 679. imperat ann. 26. m. 8. dies aliquot Occiſus fuit Idib. Iulij Era 706.**

Im-

Imperio ſole medio die obſcurato, Cœlum ſtellas prodit.

18 Huius temporibus in Era DCLXXXV. anno regni Sarracenorum XXX. regnante in eis Othomam anno VII. Chindaſuintus Receſuintum, licet flagitioſum, boni motum, filium ſuum Regno Gothorum proponit, regnans annis XXIV. Hic crebra Concilia, clarente Eugenio Urbis Regiæ Metropolitano Epiſcopo Toleto pio (*) XLVI. Epiſcoporum (z) cum infinito Clero, vel Vicarijs deſiſtentium: atque officium (a) digniſsimum Palatinum in unum in Baſilica Prætorienſi Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum excellenter recollegit: & non ſolum de mundanis actibus, verumetiam de Sanctæ Trinitatis myſterio, ignorantes animas inſtruit. Huius temporibus eclypſim Solis, Stellis meridie viſentibus, (b) omnis Hiſpania territat, (c) atque incurſationem Vaſconum non cum modico exercitus damno proſpectat.

*Receſuintus.*
Receſuintus regnat poſt patris obitum ann 18. m. 11. obijt Kal. Sept. Era 710.

(*) ea phraſi uſi ſunt Gothi in numiſmatibus.
(z) XXVIII. aſsiſtentium.
(a) *ideſt* habentes officium.

(b) Viſit. c; Eclypſis omnem Hiſpaniam territat.

19 Huius temporibus in Era DCXC. anno Arabum XXXV. Moavia præceſſoris ſortitus eſt Sedem, regnans in ea annis XXV. ſed quinque ex eis annis cum ſuis bella civilia geſſit, viginti verò, omni plebe Iſmaelitarum obediente, ſumma cum felicitate peregit. Adverſus quem Conſtans Auguſtus mille, & amplius lembos aggregans, infeliciter decertavit: & vix cum paucis æquorabiliter aufugiens, lapſus evaſit. Per Ducem quoque nomine Abdalla, qui dudum in peracto certamine ducatum tenebat, in Occidente proſpera multa peracta ſunt. Tripolim venit, Cidamum quoque, & Elemp:

*Moavia.*
Inter Othomam, & Moaviam Chronic. Orient. Elmacinus, & alij apponunt Alim, & Alaſan, qui cum diſsidio Arabum regnarunt. Alis regnavit ann. 4. m. 6. d. 19. Alaſan regnavit iuxta Chron. Orient. menſ. 3. d. 5. iuxta Elmacin. m. 6. d. 5. Poſteà Alaſan ſe concordavit cum Moavia, qui inauguratus regnavit ann 19. m. 3. dies 5. obijt die 6. April. Era 726. Arabum, 60.

Elemptien, bellando, aggreſſus eſt. Et poſt multas deſolationes effectas, vel diverſas patrias victas, atque provincias vaſtas edomitas, ſive plurimas catervas in fide acceptas, adhuc ſanguinem ſitiens, Africam adventavit cum omnibus præliatorum phalangis. Præparato igitur certamine, illicò in fugam Maurorum eſt acies verſa, & omnis decoritas (*d*) Africæ cum Gregorio Comite uſque ad internecionem deleta eſt. Abdalla quoque, onuſtus beneficio largo, cum omnibus ſuis Cohortibus remeando, Ægyptum pervenit, Moavia peragente decimum regni ſui annum. Qui Moavia centum millia Virorum, ad obſequendum, vel Conſtantinopolim pergendum filio (*e*) tradidit. Quam cum per omne vernum tempus obſidione cingerent, & famis, ac peſtilentiæ laborem non tolerarent, relicta urbe, plurima oppida capientes, onuſti præda, Damaſcum, & Regem, à quo directi fuerant, ſalutiferè poſt biennium reviſerunt. Expletis ergo Moavia principatus ſui annis XX. & quos civiliter vixit V. humanæ naturæ debitum ſolvit.

(*d*) decor.

(*e*) *Roder. Tol. legit.* ſuo Izid.

20 Era DCCXI. Romanorum ſexageſimus Conſtantinus Conſtantis filius, imperio coronatus, regnat annis XV. peractis à principio Mundi VM.DCCCLXXXVI. Hic, apud Syracuſam, audiens, ſeditione ſuorum occiſum patrem, cum claſſe, qua potuit, Palatium petit, & thronum gloriæ triumphando conſcendit.

*Conſtantinus.*
Conſtantinus Pogonotus imperat. ann. 6. m. 3. d. aliquot. Obijt initio Sept. Era 723. Arabum 66.

21 Huius temporibus in Era DCCXVI. anni imperij eius V. Arabum LXI. Yzit natus Moaviæ obtinuit regiminis locum annis iucundiſsimis tribus, & regni eius cunctis ſuæ patriæ

*Izid.*
Izid, aliàs Iezid, electus die, qua obijt Moavia pater eius, regnavit ann. 3. m. 8. d. 21. obijt Era 721. Arabum 64.

ſubditis nationibus, vir nimiùm gratiſsimè habitus, qui nullam unquam, ut hominibus moris eſt, ſibi regalis faſtigij cauſa gloriam appetivit, ſed communitèr cum omnibus civilitèr vixit. Hic, impleto triennio, Moaviam prolem ſucceſſorem reliquit, paternis moribus ſimilem: qui, ut ad faſtigium regni pervenit, tertium tributi omnibus condonavit, qui Moavia dimidium anni in regno manens ab hac luce diſceſsit.

*Moavia II.*
Moavia inauguratus die obitus patris eius, regnavit dies 40. ſecundùm Chron. Orient: ſecundùm Elmacin 45. Poſt mortem eius fuit interregnum menſ. 1. d. 19.

22 Huius temporibus in Era DCCXVI. anno imperij eius incipiente ſexto, Arabum LXII. Moavia iuniore mortuo, cunctorum Arabum exercitus penè per quatuor annos in duo Principes bifariè eſt diviſus, quorum tantus manet conflictus, ut innumerabiles catervas utrorumque devoraverit gladius. Tunc Imperatori per novem annos ab uno ex illis nomine Moroan, ut ei adiutoria militum opitularetur, aut ne impediretur, pro uno quoque die probati auri integri ponderis mille ſolidorum eſt numerus exſolutus, & mula Arabica cum lectiſerica veſtiaria ſingulis diebus cauſa pacis, ne præpediretur, ſimul cum polla (*f*) decora, cuncta ſupra nominata ſunt attributa: atque omnis retroactorum temporum extitit captivitas relaxata, quæcumque olim fuerat captivata.

*Moroan, & Aldalla.*
Contentio fuit inter Moroan, & Abdalla. Abdalla inauguratus fuit Mechæ, & regnavit menſ. 4. dies 8. Moroan coronatus Chaviæ, obijt Era 722. Arabum 65. cum regnaſſet menſ. 10. d. 8.

(*f*) *foridn:* palla: *vulgò Repoſtero.*

23 Huius temporibus in Era DCCXX. anno imperij eius decimo, Arabum ſexageſimo ſexto Abdamelic, apice regni aſſumpto, regnat annos XX. Hic æmulum patris (*Moroan*) perſequens (*Abdallam*) apud Maccam (*lege* Haran. *ut in Geneſi cap.* 11. *v.* 31. *&* 32. Abrahæ, ut

*Abdamelic.*
Abdamelic inauguratus Damaſci regnat ann. 21 d. 15. Cepit Africam Era 729. uſque in confinia dominationis Regum Hiſpaniæ. Theophanes ait anno cor-

ut ipſi autumant, domum inter Ur Chaldeæorum, & Carrhas Meſopotamiæ per Ducem Miſram interfecit, & ſapientiſsimo more civilia bella, præliando, recomprimit.

24 Huius temporibus in Era DCCXII. anno imperij eius primo, Arabum LVII. Moaviæ regni XXIII. Uvamba à Gothis præfectus, regnat annis VIII. qui iam in ſuprafata Era anni tertij ſceptra regia meditans, Civitatem Toleti mirè, & eleganti labore renovat, quem & opere ſculptorio verſificando pertitulans. Hæc in porta epigrammata ſtylo ferreo in nitido, lucidoque marmore patrat.

*Erexit, factore Deo, Rex inclytus Urbem*
*Ubamba, ſuæ celebrem protendẽs gentis honorem.*

In memorijs quoque Martyrum, quas ſuper eaſdem portarum turriculas titulavit; hæc ſimiliter exaravit:

*Vos Sancti Domini, quorum hìc præſentia fulget*
*Hanc urbem, & plebem ſolito ſervate favore.*

Hic anno regni ſui quarto in Era DCCXIII. in Toletana Urbe in Beatæ Matris Domini Mariæ Virginis Sede atrio in Secretario, poſt tranſactos octo & decem perturbationum diverſarum cladium annos, adinſtar mulieris illius in Evangelio curvæ, (*g*) Concilium ſalutis parat, atque omnes Hiſpaniæ, Galliæque Epiſcopos Synodaliter aggregat, cum quibus, & tempora abſque Concilio prætereuntia ſatis deplorat. In hoc verò conſolationem cum tantimodis viris receptat, quòd, prænitente tunc Sanctiſsimo Ildefonſo, mellifluè ore aureo in libris diverſis eloquente, atque de Virginitate noſtræ Dominæ ſemper Mariæ Virginis nitido, po-

correſpondente Eræ 723. *Abimelech* (iſte eſt Abdamelic) *verò in ſingulos dies mille nummos aureos, & equum, & ſervum Imperatori penderet.* Obijt Abdamelic undecimo Oct. Era 747 Arabum 86.

*Uvamba.*

Uvamba 19. Sept. Era 710. fuit unctus in Regem regnavit ann. 8. m. 1. die 15. Regno ſe abdicavit, & fit Monachus Era 718.

(*g*) Imò viginti annorum ſpatio non fuit celebratum Concilium: ideòque, ac bellorum cauſa, depravati ſunt mores.

litoque eloquio ſynonymè perflorente, & anchora fidei eius tempore in omni ſua Eccleſia inſidente, à libellis ab eo editis,& per Iberiam diſcurſatis, ut verè à magnis Concilijs fidelium lectitantium recreatæ ſunt mentes, atque à riuulis doctrinarum eo in tempore magnoperè conſolati ſunt puſillanimes.

*Ervigius.* Ervigius introductus in Regem Era 718. regnat ann. 6. menſ. 10. Obijt Era 725.

25 Huius in tempore in Era DCCXVIII. anno imperij eius ſeptimo, Arabum ſexageſimo ſecundo, bifariè Abdalla, & Moroan pro regno incipientibus, præliari, Gothorum Ervigius, conſecratus in regno, regnat annos ſeptem, cuius in tempore valida fames Hiſpaniam populat. Hic anno primo Concilium duodecimum Toletanum in Era DCCXIX. triginta quinque Epiſcoporum cum inæſtimabili Clero, vel Chriſtianorum Collegio ſplendidiſsimè colligit. In cuius tempore iam Iulianus Epiſcopus ex traduce Iudæorum, ut flores roſarum de inter vepres ſpinarum, productus, omnibus Mundi partibus in doctrina Chriſti manet præclarus, qui etiam à parentibus Chriſtianis progenitus ſplendidè in omni prudentia Toleti manet edoctus, ubi & poſtmodùm in Epiſcopio extitit decoratus.

*Iuſtinianus II.* Iuſtinianus II. imperat ante deiectionem ann. 10 m. 5. fuit exauguratus Era 734.

26 Era DCCXXVI. Romanorum ſexageſimus primus Iuſtinianus Imperio coronatur. Regnavit ante deiectionem annis X. peractis à principio Mundi annis V.M.DCCCXCVI.

27 Huius temporibus in Era DCCXXVI. anno imperij eius primo: Arabum LXX. Abdamelic apicem faſtigij quatuor per annos iam regendo, (*b*) huius tempore in Era DCCXXVI. anno imperij eius primo Arabum ſeptuageſimo,

(*b*) retinet.

mo, regnante Abdamelic anno quinto.

28 Egica ad tutelam Regni Gothorum primum, & ſummum obtinet principatum: regnat annos XV. Hic Gothos acerva morte perſequitur. Plaga inſuper inguinalis huius tempore immiſericorditer illabitur. Concilium anno eius primo in Era DCCXXVI. apud Urbem Toletanam in Eccleſia Prætorienſi Sanctorum Apoſtolum Petri, & Pauli, omnibus Hiſpaniæ, & Galliæ Pontificibus aggregatis, beatæ memoriæ Iuliano Doctore clarente ſub ſexagenario numero, (*i*) vel multiplici Chriſtianorum Collegio, Clero, atque omni vulgari, in circuitu ferventium, (*j*) populo celebrat. In quo pro diverſis cauſis, vel pro abſolutione iuramenti, quod præfato Principi Ergivio noxiabiliter reddiderat, Synodum, ut exſolveretur, expoſtulat. Eius in tempore librum de tribus ſubſtantijs, quem dudùm Romam Sanctiſsimus Iulianus Urbis Regiæ Metropolitanus Epiſcopus miſerat, & minùs tractando Papa Romanus arcendum indixerat, ob id quod voluntas genuit voluntatem, ante biennium tandem ſcripſerat veridicis teſtimonijs, in hoc Concilio ad exaggerationem præfati Principis Iulianus Epiſcopus per oracula Maiorum ea, quæ Romam tranſmiſerat, vera eſſe confirmans, Apologeticum facit: & Romam per ſuos Legatos Eccleſiaſticos Viros Presbyterum, Diaconem, & Subdiaconem eruditiſsimos, in omnibus, & per omnia divinis Scripturis imbutos, iterum cum verſibus acclamatorijs, ſecundum quod & olim tranſmiſerat de laude Imperatoris, mittit, quod Ro-

*Egica.*
Egica in Regem unctus Era 725. regnat ſolus ann. 10. & 5. cum filio ſuo Uvitiza. Obijt menſ. Oct. Era 738.

(*i*) LXI. Epiſcopi aſſiterunt.

(*j*) *Roder. Tol legit*: in circuitu aſsiſtente.

Roma dignè, & piè recipit, & cunctis legendum indicit: atque Summo Imperatori ſatis acclamando: *Laus tua, Deus, in fines terræ*, agnitum facit. Qui & Reſcriptum Domno Iuliano per ſuprafatos Legatos ſatis cum gratiarum actione honorificè remittit, & omnia, quæcumque ſcripſit, iuſta, & pia eſſe, depromit.

*Leontius.* Leontius imperat ann. 3. ac fuit depoſitus menſe Iulio Era 736.

29 Era DCCXXXVI. Romanorum ſexageſimus ſecundus per tyrannidem Leo imperio coronatur, regnans tumultuoſe annis III. peractis à principio Mundi annis VM.DCCCXCVIIII. Hic tumultualiter, Iuſtiniano deiecto, eius ſe ſublimat imperio.

30 Huius temporibus in Era DCCXXXVI. ſeptima, & octava, anno imperij eius primo, ſecundo, & tertio, Arabum LXXIX. LXXX. & LXXXI. Abdamelic regnans, peregit tertium decimum, quartum decimum, & decimum quintum annum.

*Uvitiza* Uvitiza regnat ſolus ann. 10 Obijt Era 748.

31 Huius temporibus in Era DCCXXXVI. anno imperijLeonis primo, Arabum LXXX. Abdamelic XIII. Egica in conſortio Regni Uvitizanem filium, ſibi hæredem faciens, Gothorum regnum retentant. Hic Patri ſuccedens in Solio, quamquàm petulanter, clementiſsimus tamen quindecim per annos extat in regno, qui non ſolum eos, quos pater damnaverat, ad gratiam recipit, tentos exilio; verumetiam, clientulos, manet, in reſtaurando. (*l*) Nam quos ille gravi oppreſſerat iugo, priſtino iſte reducebat in gaudio, & quos ille à proprio abdicaverat ſolo, iſte pio reparabat ex dono: ſicque convocatis cunctis, poſtremò cautiones, quas parens more ſubtraxerat ſubdolo, iſte in conſ-

(*l*) clientulos *vulgo Vaſſallos*: & forsàn dicere voluit, quòd Uvitiza inſtiterit, ut profugi ob ſævitiam Egicæ in ſuam redirent patriam.

conſpectu omnium digno cremavit incendio: (*m*) & non ſolùm, quia innoxios reddit, ſi vellet, ab inſolubili vinculo; verumetiam rebus proprijs redditis, & olim iam fiſco mancipatis, Palatino reſtaurat officio. Per idem tempus Felix Urbis Regiæ Toletanæ Sedis Epiſcopus, gravitatis, & prudentiæ excellentia nimiè pollet, & concilia ſatis præclara etiam adhuc cum ambobus Principibus agit.

32 Era DCCXXXVIII. Romanorum ſexageſimus tertius Apſimarus imperio coronatur, regnans annis ſeptem, peractis à principio Mundi annis VM.DCCCCV. Huius temporibus in Era DCCXXXVIII. anno imperij eius primo, Arabum LXXXII. ſimulque & III. cœpto, regnante Abdamelic annos XVII. Uvitiza, decrepito iam patre, pariter regnat, qui & in Era DCCXXXIX. ſuprafatæ cladis (*n*) non ferentes exitium, per Hiſpaniam è Palatio vagitant: qua de cauſa, propria morte deceſſo iam patre, florentiſsimè ſuprafatos per annos regnum retentat, atque omnis Hiſpania gaudio nimio freta, alacriter lætatur. Per idem tempus Gundericus Urbis Regiæ Toletanæ Sedis Metropolitanus Epiſcopus Sanctimoniæ dono illuſtris habetur, & in multis mirabiliter auctior celebratur.

33 Era DCCXLV. Romanorum Sexageſimus quartus. qui & ſexageſimus fuit primus Iuſtinianus, copia & virtute Gazarum auxiliatus, imperio reſtauratur, regnans iterùm annis decem, peractis à principio Mundi annis VM. DCCCCXV.

34 Huius temporibus in Era ſupradicta anno

(*m*) *Rod. Tol.* Et non ſolùm liberos reddidit ab inſolubili vinculo cautionum; verùmetiã omnia reſtituit, quæ Egica infiſcarat, & expulſos palatino reſtituit officio.

*Apſimarus.*
Apſimarus, qui & Tiberius, imperat ann. 7. & occiſus fuit menſe Auguſto Era 743.

(*n*) clades ſupradicta initio num. 28.

*Iuſtinianus.*
Iuſtinianus, recuperata corona, regnat ann. 6. menſe Auguſto fuit occiſus Era 749.

Ulit.
Ulit, ſeu Uvalid, patre vivente, ſuffectus eſt Califa. Muzam in Africam Proregem miſit, qui cepit Tingim, totius Tingitanæ capiut, & Taric Gubernatorem poſuit. Adortus fuit Septam, ſeu Zeutam Era 745. ſed eam capere non valuit Ulit regnavit ann. 9. m. 7. dies 25 Obijt 23. Febr. Era 753. Arabum 95.

( o ) *forsàn*: expertus. *Rod. Tol. ait*: quia futurus erat virga furoris Domini in populos Hiſpaniç peſtilentes, divino auxilio ferebatur.

anno imperio eius primo, Arabum LXXXIX. apud Arabes Ulit regnum retemptat. In Hiſpanijs verò quinto decimo anno Uvitiza perſerat in regno. Huius temporibus in Era DCCLI. anno imperij Iuſtiniani quarto, Arabum XCI. Ulit ſceptra Regni Sarracenorum, ſecundum quod expoſuerat pater eius, quatuor per annos belligerando gentes, iam regno agente, multis honoribus præditus, triumphat per annos IX. Vir totius prudentiæ in exponendis exercitibus, tantùm cum divino expers favore, ut penè omnium gentium, ſibimet proximarum (*provincias*) virtute confregit: Romaniamque inter omnia aſsidua vaſtatione debilem fecit: Inſulas quoque propè ad conſumptionem adduxit: Indiæ fines vaſtando edomuit: civitates ad irritam inopiam adduxit: Caſtella obſeſsione afflixit: in Lybiæ anfractibus omnem Mauritaniam ſubiugavit: in occiduis quoque partibus regnum Gothorum antiqua ſoliditate penè per trecentos quinquaginta annos ab Era quadringenteſima ab exordio, & principio ſui firmatum, apud Hiſpanias verò à Liuvigildo penè per CXL. pacificè uſque in Eram DCCL. porrectum, per Ducem ſui exercitus nomine Muza aggreſſum edomuit, & regno ablato, veſtigale fecit.

Rudericus.
Rudericus iuxta probabiliorem ſententiam poſt Uviti za mortem regnavit anno uno; Sarracenus, qui primò eſt aggreſſus, fuit Abuzara, ſecundus fuit Tarif Abenzarco, qui Roderi-

35 Huius temporibus in Era DCCXLVIIII. anno imperij eius quarto, Arabum XCII. Ulit ſceptra regni quintum per annum retinente, Rudericus tumultuosè regnum, hortante Senatu, invadit, regnat anno uno. Nam aggregata copia exercitus adverſus Arabes unà cum Mauris à Muza miſsis, ideſt Taric, Abuzara,

ra, & ceteris diu ſibi provinciam creditam incurſantibus, ſimulque & plures civitates devaſtantibus anno Imperij Iuſtiniani quinto, Arabum XCIII. Ulit Sexto, in Era DCCL. traductivis promontorijs ſeſe, cum eis confligendo, recipit: Eoque in prælio, fugato omni Gothorum exercitu, qui cum eo æmulanter, fraudulenterque ob ambitionem regni advenerant, cecidit. Sicque regnum ſimulque cum patria malè cum æmulatorum internecione amiſit, peragente Ulit anno ſexto. Per idem tempus Divæ memoriæ Sinderedus Urbis Regiæ Metropolitanus Epiſcopus Sanctimoniæ ſtudio claret: atque longævos, & merito honorabiles viros, quos in ſuprafata ſibi commiſſa Eccleſia reperit, non ſecundùm ſcientiam zelo ſanctitatis ſtimulat, atque inſtinctu iam dicti Uvitizæ Principis eos ſub eius tempore convexare non ceſſat: qui & poſt modicum incurſus Arabum expaveſcens, non ut Paſtor, ſed ut mercenarius Chriſti oves contra decreta Maiorum deſerens, in Romaniam patriam ſe adventat.

36 Huius temporibus in Era DCCXLIX. anno imperij eius quarto, Arabum XCII. Ulit quinto, dum per ſupranominatos miſſos Hiſpania vaſtaretur, & nimiùm non ſolum hoſtili, verumetiam inteſtino furore confligeretur: Muza, & ipſe, (o) ut miſerrimam adiens per Gaditanum fretum, columnas Herculis pertendentes, & quaſi tomi indicio portus aditum demonſtrantes, vel claves in manu tranſitum Hiſpaniæ præſagantes, vel reſerantes, iam olim malè direptam, & omnino impie aggreſſam, perditans, penetrat: atque Toletum Urbem

Nnn Re-

ricum vicit. Tertius Muza, Prorex Africæ, intravit Hiſpaniam cum Taric Abenciet, qui erat ſtrabo, ideſt diſtortus oculis.

***Muza.***

**Muza fuit primus Gubernator in Hiſpania. Poſtquàm eum rexiſſet ann. 1 m 3. *ut ait Chronic. Æmil.* Vocatus perrexit ad conſpectum Ulit intra annum, quo Ulit obijt.**

**(o) *fortè* Taric Abenciet, *de quo Elmacinus ait:* ann 93. Arabum, qui cœpit 7. Oct. anno Chriſti 712. expugnavit Taricus Hiſpaniam, & Toletum.**

Regiam uſque inrumpendo, adiacentes regiones pace fraudifica malè diverberans, nonnullos Seniores nobiles viros, qui utcumque remanſerant per Oppam filium Egicæ Regis, à Toleto fugam arripientem, gladio patibuli iugulat, & per eius occaſionem cunctos enſe detruncat.

37 Sicque non ſolùm Ulteriorem Hiſpaniam, ſed etiam Citeriorem uſque ultra Cæſaraugustam, antiquiſsimam, atque florentiſsimam civitatem, dudùm iam iudicio Dei patenter apertam, gladio, fame, & captivitate depopulat: civitates decoras, igne concremando, præcipitat. Seniores, & potentes ſæculi cruci adiudicat: Iuvenes, atque lactentes pugionibus trucidat: ſicque dum tali terrore cunctos ſtimulat: pacem nonnullæ civitates, quæ reſiduæ erant, iam coactæ proclamitant, atque ſuadendo, & irridendo aſtu quodam, nec more, petita condonant; ſed ubi impetrata, territi metu recalcitrant, ad montana tenti, iterùm effugientes, fame, & diverſa morte periclitantur: atque in eadem infelici Hiſpania Corduba in Sede dudum Patritia, quæ ſemper extitit præ ceteris adiacentibus civitatibus opulentiſsima, & Regno Uviſegothorum primitivas inferebat delicias, regnum efferum collocant.

38 Quis enim narrare queat tanta pericula? Quis dinumerare tam importuna naufragia? Nam ſi omnia membra verterentur in linguam, omnino nequaquam Hiſpaniæ ruinas, vel eius tot, tantaque mala dicere poterit humana natura. Sed ut in brevi cuncta legenti eno-

enotem pagella, relictis ſæculi innumerabilibus ab Adam uſque nunc cladibus, quas per infinitas regiones, & civitates crudelis intulit Mundus iſte immundus : quidquid hiſtorialiter capta Troia pertulit : quidquid Hieroſolyma prædicta per Prophetarum eloquia baiulavit; quidquid Babylonia per ſcripturarum eloquia ſuſtulit, quidquid poſtremò Roma, Apoſtolorum nobilitate decorata, martyrialiter confecit: omnia, & tot Hiſpania, quondam delicioſa, & nunc miſera effecta, tàm in honore, quàm etiam in dedecore experta fuit.

39 Nam in Era DCCL. anno imperij eius ſexto, Arabum XCIV. Muza, expletis XV. menſibus, à Principis iuſſu præmonitus, Abdallaziz filium linquens in locum, lectis Hiſpaniæ Senioribus, qui evaſerant gladio, cum auro, argentove, Trapecitarum ſtudio comprobato, vel inſignium ornamentorum, atque pretioſorum lapidum, margaritarum, & unionum, quo ardere ſolet ambitio matronarum, congerie, ſimulque Hiſpaniæ cuncta ſuperficie, (*p*) quod longum eſt ſcribere, adunatis, Ulit Regis, repatriando, ſeſe præſentat obtulibus anno regni eius extremo : quem & Dei nutu iratum reperit, & malè de conſpectu Principis cervice tenus eijcitur pompiſſando, (*q*) * privatus potentia, & honore. Demùm condemnatus in mille millibus, & in decies centum millibus ſolidorum : & dolore vario circum ſeptus vitam finivit anno Arabum XCVII. *

40 ....nomine Theudimer, qui in Hiſpaniæ partes non modicas Arabum intulerat neces, & diu exagitatis, pacem cum eis fœderat, (*r*) ha-

(*p*) *ideſt*: cunctis rebus ſpecioſis.

(*q*) *ideſt*, cum ignominia publica.

(*) *Lacuna, quæ eſt in exemplari, ſuppletur ex Rod. Tol. Hiſt. Arab. cap.* 10.

(*r*) pactus fuerat;

*Theudimer.*
Anonymus Andaluſianus refert prælium à Theodemir contra Arabes commiſſum, &, quo uſus fuit, ſtratagema. Diſpoluit enim ut mulieres cum colibus apparerent in mœnibus Civitatis Oreolæ, vulgò Orihuela, ac ſi eſſent homines præſidiarij cum lanceis. Poſteà Theodemir, ſe ſimulans nuntium, ad obſidionis exijt Ducem, &, pactis inducijs, eſt gratiam ſecuritatis cõſequutus. Roder. Tol. lib. 3. cap. 24. de Reb. Hiſpan non nominat Theodemirum, ſed tantùm Dominum Murciæ. Videatur Pagi Critic. ann. 711. n. 18.

(*f*) ſolvunt.

habendam. Sed & iam ſub Egica, & Uvitiza Gothorũ Regibus in Græcos, qui æquoreo (*agmine*) navaliſque deſcenderant, ſua in patria de palma victoriæ triumphaverat. Nam & multa ei dignitas refertur; necnon à Chriſtianis Orientalibus perquiſitus, tanta in eo inventa eſt veræ fidei conſtantia, ut omnes Deo laudes referrent non modicas. Fuit autem ſcripturarum amator, eloquentia mirificus, in prælijs expeditus, qui & apud Almiralmuminin prudentior inter ceteros inventus, utiliter eſt honoratus, & pactum, quod dudum ab Abdal-laziz acceperat, firmiter ab eo reparatur. Sicque hactenus permanet ſtabilitum, ut nullatenus à ſucceſſoribus Arabum tantæ vim per ligationis ſolvatur, & ſic ad Hiſpaniam remeat gaudibundus.

41 Athanaildus poſt mortem ipſius multi honoris, & magnitudinis habetur. Erat enim opulentiſsimus Dominus in omnibus, & in ipſis nimiùm pecuniæ diſpenſator: ſed poſt modicum Alhoozzam Rex Hiſpaniam aggrediens, neſcio, quo furore arreptus, non modicas iniurias in eum intulit, & ter novies millia ſolidorum damnavit. Quo audito, exercitus, qui cum Duce Belgi advenerant, ſub ſpatio ferè trium dierum omnia pariunt, (*f*) & citiùs ad Alhoozzam cognomento Abuliatar gratia revocant, diverſiſque munificationibus remunerando ſublimant.. . . . . ſupradicta Ulit Amiralmuminin (quod idioma regni in lingua eorum reſonat: omnia proſperè gerens) prævifis copijs univerſarum gentium, necnon & muneribus Hiſpaniæ unà cum puellarum decoritate, ſibi exhibita, & in oculis eius prævalida fama par-

vipenſa, dum eum (*t*) tormentis plectendum morti adiudicat: impetratu pro eo Præſulum, vel Optimatum, quibus multa ex illis affluentiſsimis divitijs bona obtulerat, mille millia, & decies centena millia ſolidorum numero damnans, Ulit, vitæ terminum dando, è ſæculo migrat. Quod ille, conſilio nobiliſsimi viri Urbani, Africanæ regionis ſub dogma Catholicæ Fidei exorti, qui cum eo cunctas Hiſpaniæ adventaverat patrias, accepto, complendum pro nihilo exoptat: atque pro multa opulentia parùm impoſitum onus exiſtimat: ſicque fideiuſſores dando, per ſuos libertos congeriem nummorum dinumerat: atque mira velocitate impoſitum pondus exaptat, ſicque ſucceſſoris tempore fiſco aſsignat........

(*t*) *ſcilicèt*, Muzam.

42 Huius temporibus in Era DCCLII. anno imperij eius octavo, Arabum XCVI. Ulit mortuo, Zulemam, ſanguine frater, honorificè ſecundùm expoſitum fratris ſuccedit in regno, regnat annos tres. Hic, infeſtus Romaniæ, fratrem, non de ſimili matre progenitum, Muzzilima nomine cum centum millibus armatorum, ad delendam Romaniam, mittit. Hic Aſiam, bello impeditam, gladio ſimul cum igne finivit, deceptam. Deinde Conſtantinopolim properans, dum periclitari ſe diverſis neceſsitatibus Muzzilima præſpicit, alterius Principis iuſſu non nimiùm feliciter repedavit.

*Zulemam.*
Zulemam die, qua obijt Ulit eius frater, coronatus, regnat ann. 2. m. 7. d. 25. Obijt 8. Octob. Era 755. Arabum 99.

43 Per idem tempus in Era DCCLIII. anno imperij eius IX. Arabum XCVII. Abdallaziz omnem Hiſpaniam per tres annos ſub cenſuario iugo pacificans, cum Hiſpali (*ſ*) divitijs, & honorum faſcibus, cùm Reginam Hiſpa-

*Abdalaziz.*
Abdalaziz Iben Muz, ideſt, filius Muzæ, regnat ann. 2. m. 6. *Chron. Æmil.*

(*ſ*) Rod. Tol. apud Hiſpalim conſtituit Sedem ſuam.

paniæ in coniugio copulatam, vel filias Regum, ac Principum pellicatas, (*t*) & impudenter diſtractus æſtuaret, ſeditione ſuorum facta, orationi inſtans, ob conſilium Ajub (*u*) occiditur, atque eo Hiſpaniam retinente, menſe impleto, Alahor in Regno Eſperiæ per principalia iuſſa ſuccedit, cui de morte Abdallaziz ita edicitur, ut quaſi conſilio Egilonis Reginæ coniugis quondam Ruderici Regis, quam ſibi ſociaverat, iugum Arabicum à ſua cervice conaretur avertere, & regnum invaſum Iberiæ ſibimet retentaret.

(*t*) pellectas.

(*u*) Ajub electus ab Arabibus Hiſpaniæ loco Abdelaziz rexit menſe 1. Chron. Æmil.

*Alahor.*

Alahor electus à Zuleman in Ducem Hiſpaniæ regnavit ann. 2. m 9. Rod. Tol. Chron. Æmil. ait menſ. 12.

44 Era DCCLIV. Romanorum ſexageſimus quartus Philipicus imperio coronatur, regnans civiliter quadrans cum anno, peractis a principio Mundi annis VM. DCCCCXVI. Huius tempore in Era ſuprafata anno Philipici primo, Arabum XCVIII. Zuleman, Sarracenorum regno retento, regnat annis III. Arabes Romaniam acriter populant. Pergamum antiquiſsimam, atque florentiſsimam Aſiæ civitatem ultrici incendio concremant. Huius tempore Alaor per Hiſpaniam lacertos Iudicum mittit, atque debellando, & pacificando penè per tres annos Galliam Narbonenſem petit, & paulatim Spaniam Ulteriorem vectigalia cenſiendo (*x*) componens, Iberiam Citeriorem ſe ſubſigit, (*y*) regnans annos ſupraſcriptos.

*Philipicus.*

Philipicus, qui dicebatur Bardanes, imperavit ann. 1. m. 6. Eiectus de Throno 4. Iunij Era 751.

(*x*) cenſiendo, ideſt, per cenſum.

(*y*) ſe ſubſigit, ideſt, ſibi ſubiugavit.

45 Era DCCLVI. Romanorum ſexageſimus quintus Anaſtaſius imperio coronatur, regnans dodrans cum anno, peractis à principio Mundi annis VM. DCCCCXVIII. Huius tempore Zuleman Arabum regnum tenens, filium patrui, Omar nomine, vel fratrem eius

*Anaſtaſius.*

Anaſtaſius, dictus Arthemius, eſt ſubdubio, an regnaverit 1. vel 2. ann. cum exauguratus eſſet, rebellionem movit, & fuit occiſus Era 757.

eius Izit, ſibi ſucceſſores regni adſciſcit.

46 In Hiſpania verò Alaor ſupra iam dictus Patriam Cordubam obſidione Sarracenorum, diſponendo, retemptat, atque res ablatas pacificas (z) Chriſtianis ob vectigalia, theſauris publicis inferenda, inſtaurat. Mauris dudùm Hiſpaniam commeantibus, pœnas pro theſauris abſconſis irrogat: atque in cilicio, & cinere, vermibus, vel pedunculis ſcaturientibus alligatos in carcere, & catenis onuſtos, retemptat: & quæſtionando, (a) vel diverſas pœnas inferendo, flagellat. Per idem tempus incipiente Era DCCLVII. anno Arabum C. In Hiſpania deliquium ſolis ab hora diei ſeptima (b) uſque in horam nonam fieri, ſtellis viſis, à nonnullis eſſe dignoſcitur, à pleriſque non niſi tempore Zamæ ſucceſſoris hoc apparuiſſe, convincitur.

47 Era DCCLVIII. Romanorum ſexageſimus ſextus Arthemius, qui & Theudoſius imperio coronatur, regnat annis duobus, peractis à principio Mundi annis VM.DCCCCXX. Huius temporibus tutelam ob ſanctimoniam legis ſuæ Omar fratri ſuo Iziz, gerenti gubernacula regni, ei adſciſcit. Qui Omar, vacante omni prælio, tantæ benignitatis, & patientiæ in regno extitit, ut hactenùs tantus ei honor, lauſque referatur, ut non ſolùm à ſuis, ſed etiam ab externis præ cunctis retroactis Principibus beatificetur. Tanta ſanctimonia autem ei adſcribitur, quanta nulli unquam ex Arabum gente in regni gubernaculo prorogata ſit. Igitur Iziz, gubernacula regni Sarracenorum, decedente fratre, per ſucceſſionem plenè ac-

cep-

*Omar.*
Omar regnavit ann. 2. m. 5 d. 15. Obijt 7. Februar. Era 758. Arabum 101.

(z) *ideſt*: contra initum pactum.

(a) per quæſtionem.

(b) *Rod. Tol. legit*: ſexta.

*Theodoſius.*
Imperat ann. 1. cum uno, aut altero menſe. Fit Monachus. Era 754

cepit, Exercitu generis ſui apud Perſas tutelam gerebat,(c) rebellionem molitus, civilia præparat bella: ſicque fratrem dudùm ſupranominatum Muzilima (d)nomine cum infinito exercitu mittens, in campis Babylonicis ſupra Tigrim fluvium pugna commiſſa, ſtatim acies tyrannizantium mira dilabitur fuga, atque Ducem ſceleris nomine Iziz comprehenſum, venia conceſſa, reſervant ad vitam. (e)

48 Tunc in Occidentis partibus multa illi, præliando, proveniunt proſpera; atque per Zama nomine tres minùs paululùm annos in Hiſpania ducatum habentem, ulteriorem, vel citeriorem Iberiam proprio ſtylo ad vectigalia inferenda deſcribit. Prædia & manualia, vel quidquid illud eſt, quod olim prædabiliter indiviſum retemptabat in Hiſpania gens omnis Arabica, ſorte ſocijs dividendo, partem ex omni re mobili, & immobili fiſco aſſociat. Poſtremò Narbonenſem Galliam ſuam facit, gentemque Francorum frequentibus bellis ſtimulat, & reditus Sarracenorum in prædictum Narbonenſe oppidum, ad præſidia tuenda, decenter collocat: atque in concurrenti virtute iam dictus Dux Toloſam uſque præliando pervenit: eamque obſidione cingens, fundis, & diverſis generum machinis expugnare conatus eſt. Sicque Francorum gentes tali de nuntio certæ, apud Ducem ipſius gentis Eudonem nomine congregantur: ubi dum apud Toloſam utriuſque exercitus acies gravi dimicatione confligunt: Zama Ducem exercitus Sarracenorum cum parte multitudinis congregata occidunt, reliqui exercitum per fugam elapſum ſe-

(c) *Rod. Toletan. legit:* Tunc quidam alius Izit nomine, qui de genere ſuo erat, & apud Perſas tutelã gerebat, &c.

(d) *aliàs* Muslimam.

(e) Elmacinus ait: quòd Izit ſuit occiſus, & quòd Muslima caput Izit ad Izit Califam miſerit.

**Zama.**

Zama occiſus fuit in prælio Tholoſano Era 759. *Chron. Æmil. ait:* Zuma regnat ann. 3.

Ex iſto num 48. uſque ad num. 54. fuit decerptum à Cheſnio Hiſt. Franc. tom 1. pag. 785 quantum ad ſuam Hiſtor. attinet, aſsignata Era 757.

ſequuntur. Quorum Abderraman ſuſcipit principatum unum per menſem, donec à principali iuſſu veniret Umbiza eorum Rector.

*Abderraman.*
Abderraman rexit Hiſpaniam menſ. 7. *Chron. Æmil.* Poſt Abderraman Rod. Tol. apponit Azam, qui, civitatibus expugnatis, impoſuit, ut ſolverent fiſco regio quintam partem proventuum; civitatibus verò ſpontè traditis decimam tantùm. Fuit ociſus à ſuis poſt vaſtationem Tyraſonæ: regnavit ann. 2. cum dimidio.

49 Per idem tempus Fredoarius Accitanæ Sedis Epiſcopus: Urbanus Toletanæ Sedis Urbis Regiæ Cathedralis veteranus Melodicus: atque eiuſdem Sedis Evantius Archidiaconus nimiùm doctrina, & ſapientia, ſanctitate quoque, & in omni ſecundùm ſcripturas ſpe, fide, & charitate, ad confortandam Eccleſiam Dei, clari habentur.

50 Era DCCLVIII. Romanorum ſexageſimus ſeptimus Leo imperio coronatur, regnat annis XXIV. peractis à principio mundi annis VM.DCCCCXXII. Hic Leo militaris diſciplinæ expertus, Sarraceni ſub Omar, qui fratri ſuo regnum decreverat, modicum degentes, nihil proſperum captant; ſub Iziz verò prælia multa exegerunt, qui & poſt modicum ſub Iſcam ſuo Rege Urbem Regiam properantes expugnandam, Reipublicæ acclamante omni Senatu, Leo Imperij, ut diximus, ſuſcepit ſceptra.

*Leo.*
Leo Iſaurus imperat ann. 24. m. 2. d. 25. Obijt 18. Iulij Era 779.

51 Huius temporibus Iziz Rex Sarracenorum in Era ſupraſata regni primæva obtinet gubernacula. Talis enim inter Arabes tenetur perpetim norma, ut non niſi per cunctas Regum ſucceſsiones prærogativæ à Principe percipiant nomina: ut eo decedente, abſque ſcandalo adeant regiminis gubernacula.

*Izit.*
Izit, ſeu Iezit, frater Omar, ſupradictus numer. 46 regnat ann. 4. m. 1. Obijt Era 761. Arabum 105.

52 Per idem tempus in Era DCCLVIIII. anno Imperij Leonis ſecundo, Arabum CIII. Umbiza ſemis cum quatuor annis principatum Hiſpaniæ aptè retemptat, qui & ipſe contra gentes Francorum pugnas meditando, & per di-

*Umbiza.*
Umbiza, ſeu Ambiza non legitur in *Chronic. Æmil Chron. Moiſsiac.* ait: Ambiza Rex Sarracenorum cum ingenti

ti exercitu poſt quintum annum (ideſt poſt Zamæ occiſsionem) Gallias aggreditur Carcaſonam expugnat, & capit à uſque Neumeſo pace, & obſides Barcinonâ tranſmiſit. Regnavit ann. 4. cum dimidio.

*Odera.*
Odera electus ab Umbiza regnat ann. 1. *Chron. Æmil.*

*Iabia.*
Iahia regnat ann. 1. m. 6. *Chronic. Æmil. Roderic.* ; *Tol.* ei aſsignat ann 1. cum dimidio. Anonymus Andaluſ. ait: Ferè triennio crudelis æſtuat, atque acri ingenio Hiſpaniæ Sarracenos, & Mauros pro pacificis rebus ablatis exagitat, atque Chriſtianis plura reſtaurat.

*Iſcan.*
Iſcan inauguratus die, qua Izit obijt, regnat ann. 19. m 7 d. 11. obijt 7. Febr. Era 781. Arabum 125.

directos Satrapas inſequendo, infeliciter certat. Furtivis verò obreptionibus per lacertorum cuneos nonnullas civitates, vel Caſtella dimutilando, ſtimulat: ſicque vectigalia Chriſtianis duplicata exagitans, faſcibus honorum apud Hiſpanias valdè triumphat. Qui dum poſtremò ſupraſatus Umbiza per ſe expeditionem Francorum ingeminat, cum omni manu publica incurſionem illorum illicò meditatur. Qui cum rabidus pervolat, morte propria vitæ terminum parat: atque Hodera Conſulem patriæ, ſibi commiſſæ, vel Principem exercitus repedantis, & quaſi refrenantis, in extremo vitæ poſitus, ordinat. Cui ſtatim in Era DCCLXIII. anno ſuprafati Imperatoris penè iam ſexto, Arabum CVII. Sarracenus Yaia nomine monitu Principum ſuccedens, terribilis poteſtator ferè triennio crudelis exæſtuat, atque acri ingenio Hiſpaniæ Sarracenos, & Mauros pro pacificis rebus ablatis exagitat, atque Chriſtianis plura reſtaurat.

53 Huius temporibus Iziz, quarto expleto anno, ab hac luce migravit, fratri regnum relinquens Iſcam nomine, & poſt fratrem natum proprij ſeminis adſciſcens nomine Alulit. Qui Iſcam primordio ſuæ poteſtatis in Era DCCLXI. anno imperij Leonis iam dicti penè iam quinto, Arabum CVI. ſatis ſe modeſtum oſtendens, nonnulla proſpera per Duces exercitus in Romania terra, & pelago geſsit. Deinde cupiditate præreptus, tanta collectio pecuniarum per Duces ab Oriente, & Occidente ipſi miſſa, eſt facta, quanta nullo unquam tempore in Reges, qui ante eum fuerunt, extitit con-

congregata. Unde non modicæ populorum catervæ, cernentes in eo improbam manere cupiditatem, ab eius ditione ſuas dividunt mentes, ubi non modica ſtrage per tres, & quatuor annos civiliter facta, vix ſuæ poteſtatis provincias perditas reformavit.

54 Huius tempore in Era DCCLXVI. anno imperij eius X. Arabum CXI. Iſcam VI. Oddiſa vir levitate plenus, auctoritate à Duce Africano accepta, qui ſorte Hiſpaniæ poteſtatem ſemper à monitu Principis, ſibi gaudet fore collatam, per ſex menſes abſque ulla gravitate retemptans, præ paucitate regni nihil dignum, adverſumque ingeminat.

55 Per idem tempus ad regendam Hiſpaniam in Era DCCLXVII. anno imperij eius undecimo, Arabum CXII. Iſcam VII. Autuman ab Africanis partibus tacitus properat, qui dum quatuor per menſes (*rexiſſet terram*) alium ſuſtentando, (z) honoribus infulat Aleitan, ad Hiſpaniam regendam ſtrenuè, ſigillum, vel auctoritatem principalem, à ſuprafatis partibus miſſam, patenter demonſtrat, atque per decem menſes turbidus regnat. Neſcio quo aſtu, nonnullos Arabas ſe malle regno deijcere, illicò inveſtigat: unde & eos comprehenſos aliquandiù, diverſas rebellionis occaſiones flagellis extorquens, ut clàm iuſſus ab æmulis traſmarinis fuerat, pœnas inferendo, poſtremò capite truncat. Inter quos Zat Sarracenorum genere plenum, facundia clarum, atque diverſarum rerum opulentiſsimum Dominum, pœna extortum, vel flagris illuſum, atque colaphis cæſum, gladio verberat. (a) Qui non poſt

*Hodiſa.*
Hodiſa regnat menſ. 6. *Chron. Æmil.* Poſt hunc *Rod. Tol.* aſsignat Yemé, qui regnavit menſ. 5. Obijt Era 768.

*Autuman.*
Autuman regnat menſ. 4. *Chron. Æmil.*

*Eleitan.*
Eleitan, ſeu Aleitan regnat menſ. 10. *Chron. Æmil.*

(z) *ideſt.* ſubſtituendo

(a) *Rod. Tol. legit*: in humaniter flagellavit, Zat autem manus eius evadens, ad petitionem gentis eorum, quorum ſanguiné effuderat inhumanè, Amiramomi nini ſe conſpectibus præſentavit.

multos dies ad petitionem gentis eorum, quorum ſanguinem fuderat, à Lybiæ partibus principaliter monitus, Mahomet mittitur Sarracenus cum relatione auctoritatis abſconſa, ut Abderraman eius * in loco abſque cunctatione maneat prorogatus. Sed ubi Sedem Cordubenſem Mahomet adijt, (*b*) turbidus Abderraman exemplo, nec dum repertus, ſtatim Aleitan à Mahomet rigidè extat comprehenſus. Quem dum in carcere, nequaquàm impunitum ſufferret, poſitum, nec mora flagellatum, turpiter adiudicatum, capite decalvatum, aſino pompizantem (*c*) poſterga facie, per plateas detrahunt, manibus poſt tergum vinctum, vel catenis ferreis alligatum: (*d*) atque non poſt multos dies Duci Africano eum, qui hoc, ut ferunt, clàm iter ordinando, Aleitan reddiderat monitum, ſub cuſtodia retemptatum, dirigit, præſentandum. (*e*) Denique dum quid de eo fieret à Regalibus Sedibus Regis expectatur, ſtylus multis ſermocinationibus involvitur, & diverſis iudicijs impetitur, nihil inferentes, de die in diem evaneſcendo, per longum evanuit tempus, & quia cum Africanis adventaret partibus, Mahomet Alarcila (*f*) eius vice in loco extiterat poſitus menſe completo.

56 Abderraman vir belliger in Era DCC LXIX. anni imperij eius duodecimo ſemiſario Arabum CXIII. Iſcan IX. in poteſtate properat lætabundus, cunctis per triennium valdè prælatus. Quamquàm nimiùm eſſet animoſitate, & gloria præditus unus ex Maurorum gente nomine Munniz, (*g*) audiens per Libyæ fines Iudicum ſæva temeritate opprimi ſuos, pacem, nec

(*) *ſcillicèt*, Aleitan.

(*b*) *Rod.Tol. legit*: Abderraman non potuit invenire, & ſtatim, &c.

(*c*) pompizantem, id eſt: publicè, facie ad caudam verſa, inſidentem.

(*d*) *Rod.Tol.* ibi vitam finivit.

(*e*) Quis monitum Aleitan dederit, ignoratur.

*Mahomet.*

(*f*) *Roder. Tol. legit*: Mahomet Abenadalla regnat duobus menſibus, quibus completis, Abderraman invenitur.

*Abderraman.*

Abderraman omiſſus à *Chron. Æmil.* fit Præfectus Sarracenorum in Hiſpania, iuxta Roder. Tol regnat ferè ann. 3.

(*g*) *Cheſnius loc. cit* pagin. 786. Vocat eum Aimonem, & ait fuiſſe Cæſarauguſtæ Regem, & quòd Lampegiam ipſius Eudonis filiam in coniugio ſumpſidet, & rupiſſet conubij foedera.

